

V.

ORATIO  
DE RESTITUENDA SOCIETATE IESU IN  
TRANSYLVANIA.

Habita a Ioanne *Argento*, eiusdem Societatis in Transylvania Vice-Provinciali apud Transylvanorum Ordines Claudiopoli comitiis generalibus congregatos, die

15. Iunii Anni 1607.

Mirabitur forte aliquis, Ordines Illustrissimi et patriae hujus nobilissimae Patres integerrimi, quod ego nullis vel calamitatibus fractus, vel laboribus fatigatus, vel periculis territus, vel difficultatibus retardatus, praeter omnium expectationem in Transylvaniam redierim; qui non ita pridein e Transylvania ejectus fueram. Verum, si is redditus mei consilium intellexerit, profecto et mirari desinet, et factum meum non improbabit. Cum enim superioribus mensibus exularet e Transylvania (uti communis vox erat) Regina illa, atque omnium regnorum, omniumque rerumpublicarum dominatrix: Justitia, ego quoque cum omnibus ordinis mei sociis exulare coactus sum. Quamobrem eadem redeunte Justitia, et summa omnium bonorum gratulatione sedem, ac dignitatem suam repetente, mihi quoque redeundum esse existimavi, ut qui ea absente maximam divinarum, humanarumque rerum jacturam fecisset, eadem regnante, miseri veluti naufragii reliquias colligerem, illataque damna quoquomodo resarcirem. Quae dum clarius expono, peto a vobis, ut me in gravissima Dei ac religionis causa, de regno, de vobis, de Jesuitis disserentem, attente audiatis. Quod si praestabitis, efficiam, ut causam meam cum causa vestra adeo conjunctam esse intelligatis, ut vinci non possim, quin magnum vos detrimentum, non vincere, quin summam iidem cum laude conjunctam utilitatem reportetis.

Atque, ut universae hujus actionis fundamenta jaciamus: nemo est, viri sapientissimi, vel tam barbarus, vel tam in orbe terrarum hospes, qui nesciat in omni republica duo adeo

necessaria esse: ut si adsint, respublica floreat, si absint, necessario eadem intererat: Justitiam in principe, probitatem in multitudine. Illam quidem, quia, ut ait vir plane divinus S. Augustinus: *Remota justitia, quid sunt regna, nisi magna latrocinia?* Hanc vero, quia quod de una civitate, unove populo antiquus vates cecinit, id nos non immerito de quavis hominum respublica affirmamus. Si *incolae*, inquit, *bene morati sunt, pulchre munitam arbitror.* Quid si haec munitio desit? *Centuplex*, inquit idem, *murus rebus servandis parum est.* Iam vero, si rem Transylvanam eo loci constitutam esse ostendero, ut salva Justitia, Societas nostra ejici non possit, quin potius ne probitas pereat, retinendam esse docuero: nonne etiam probavero Societatis causam, id est ejus in hoc regno conservationem, adeo cum salute et utilitate vestra esse conjunctam, ut ipsa ruere non possit, quin vos ex ejus ruina summum detrimentum capiatis?

Ut igitur a probitate incipiamus: cuius ex cognitione tanquam e sole radius causae quoque nostrae justitia emicabit. Non nego homines singulari Dei beneficio ad omne virtutum genus esse natos, ad omnem probitatem factos esse non inficior. Illud profiteor et constanter affirmo, ut homo virtutem, quae, ut ait Tacitus, *hominis proprium bonum est*, assequatur, nam illi necessariam esse disciplinam atque educationem. *Nascitur homo*, inquit Aristoteles, *tanquam tabula rasa.* Nam etsi igniculos quosdam, quasi virtutis semina natura indidit, nequaquam tamen virtutis maturitatem, hoc est virtutis habitum dedit. Quare nisi doctrina et bona institutione excolatur, verendum est, ne sicuti triticum in terra male subacta seminatum, plerumque in deteriores frugum species degenerat, sic ipse male educatus veluti in bruta animantia moribus et cupiditate transformatur.

Hinc prima semper omnium bene institutarum rerum-publicarum cura fuit, ut ingenuae liberorum educationis, tanquam foecundi optimorum virorum seminarii ratio habetur. Quam curam, qui neglexere, ab aliis semper barbari et habiti, et dicti fuere. Quod verum esse non ignorantii, qui antiquitatis monumenta evoluerunt et fidem amplam faciunt tot, tanquam celebres Academiae; quae uti verae virtutis officinae ubique gentium aperte fuere; quibus florescentibus, res ipsae quoque publicae floruerunt et re ipsa verissimum

esse ostenderunt, quod aliquando sapientissimus Plato dixit: *eas res publicas fore beatas, in quibus rigoret amor sapientiae.* Quod ipsum pluribus ego confirmarem, nisi ad Serenissimum et nunquam satis laudatum Transylvaniae principem, Poloniae regem et singulare Ungaricae gentis ornamentum, Stephanum Bathoreum, eam ad se vocantem mea properaret oratio. Rex enim ille sapientissimus et omni virtutum genere cumulatissimus, cum hanc provinciam, tanquam carissimam patriam omni ex parte felicissimam optaret, et post multa, praeclaraque facinora, quibus illam cum pace, tum bello auxerat et firmarat, diu, multumque secum ipse cogitasset, quoniam potissimum munere illam ornare posset, quod ad reliqua dona, quibus a natura liberalissime ditata est, veluti cumulus accederet; nihil dignius, nihil excellentius, nihil divinus sapientissimo principi occurrit, quam, ut in ea officinam institueret, in qua non aurum vel argentum cuderetur, sed homines natura rudes exquisitissima arte polirentur.

Haec fuit origo nostra, viri nobilissimi. Hic fons, ex quo ad vos nostra Societas manavit. Haec denique causa, qua potentissimus ille rex et prudentissimus hujus patriae parens permotus, Societatem Jesu in hoc regnum introduxit et inter vos collocavit, ut nimirum nostro labore et industria, cum omnes pietate excolerentur, tum in primis liberi vestri, tam ingenuarum artium splendoribus, quam bonorum morum ornamentis illustrarentur et ad veram sapientiae et probitatis gloriam informarentur, ut hac ratione crescentibus cum aetate virtutibus perpetua optimorum virorum messis patriae pararetur.

Neque a scopo multum aberrarat rerum aestimator ille peritissimus. Quis enim non omnino literarum ignarus, Claudiopolitanam nostram, immo regiam, immo vestram Academiam vix herbescentem, ne dicam maturam ad messem aequis, non invidis oculis aspexit, qui nihil ea in Transylvania vel ad utilitatem uberioris, vel ad delectationem jucundius, vel ad dignitatem illustrius esse libera voce non fateretur? Et merito, quid enim aliud erat illud gymnasium, quam morum lima, virtutis officina, sapientiae domicilium? In quo vidisses nobilitatis florem ita modestiae, innocentiae, pudicitiae, obedientiae, pietatis, gravitatis, omnis denique honestatis observantem, ut piaculum commisisse censeretur, qui vel tantillum

a recto deflexisset. Vidisses illos verae sapientiae alumnos laudabili aemulatione, tum cum magistris, tum inter se perpetuo collectantes; cum illis, ut dissentium studium doctorum sedulitati responderet: inter se, ut alter alteri virtutis palam praeriperet, et in sapientiae stadio primus metam attingeret. Sicut enim generosus equus calcaria non exspectat, sed solo sessoris nutu ad cursum concitatur, sic liberalis juventus non tam ferulae timore, quam gloriae aemulatione ad bona studia inflammatur. Quam quidem docendi rationem, nisi toto coelo aberrem, apud unam Societatem reperies bene confirmatam, certe in Transylvania nullam ejus habes speciem. Atque ne abs tam utili et tam necessaria institutione ullus rerum inopia excluderetur: ille idem rex, cuius memoria cum omni posteritate, tum in primis a vobis conservanda est, atque colenda, singulari caritate providit, seminarium enim instituit, in quo regia munificentia alerentur quamplurimi pauperes studiosi, qui cum ingenio valerent et patriae aliquando usui futuri essent, vel mechanicas artes exercere, vel servilem conditionem subire cogebantur. In quem eundem finem a Sanctissimo totius christiani orbis parente, Pontifice Romano Gregorio XIII. annuam quandam et quidem magnam auri summam impetravit. Non enim Pontifex Romanus Antichristus est, qui omnes perdere velit, ut blasphemant veritatis hostes, sed est amantissimus Parens, qui omnibus prodesse cupit, patri coelesti omnino similis, ut enim Deus sine discrimine *solem suum oriri facit super bonos et malos*, sic ille omnes nationes, omnes populos amplectitur; neminem excludit, et e supra illa sanctitatis et religionis arce Romana non veritatis solum, sed beneficentiae etiam et caritatis radios per universum orbem diffundit, ut hinc colligas: sicuti Deus, quem Christiani colunt, unus est in coelis: sic unum esse Pontificem Romanum, quem ejus loco iidem venerentur in terris.

Hoc fuit primum nostrum in Transylvania munus, institutio juventutis. Alterum primo tanto utilius, quanto sublimius fuit divini cultus procuratio et religiosa animorum ad pietatem informatio. Utinam intelligeretis omnes, utinam intelligeretis, quanti referat, ut in hoc regno vigeat catholica religio, quod sane intelligitis, si rationem sequi, non affectu rapi volueritis. Neque exspectetis a me, ut exaggerem in

praesenti pericula, quae imminebunt vobis, quotiescumque hanc religionem turbabitis. Illud extremo, ut ajunt, digito indicasse sit satis, vos tamdiu neque tutam, neque firmam pacem cum Christianorum imperio habituros; quamdiu imperii ipsius religionem contemnetis; tamdiu potentissimos reges animo in vos alieno futuros, quamdiu intelligent vos a Societate nostra esse abalienatos. Sed haec missa facio, ad majora enim et magis regni visceribus innexa properat oratio. In Transylvania semper fuerunt, sunt et erunt catholici, quis negat, quorum multi inter primos sunt collocati? Verum est, quid quod nonnulli (absque invidia dictum sit) omnino sunt primi? Velim mihi responderet aliquis, expediatne reipublicae ut hi boni sint, an vero mali? Haud dubie, ut optimi sint, optandum esse respondebis. Praeclare. Sed quidnam sub coelo reperiri potest, quod certius, firmius, divinius hominem bonum reddat, quam religio? cuius imperium in homines tantum est, ut sola eos in ipso scelerum cursu fraenet et quocunque velit, per immensos virtutum campos impellat. Haec fidem inter homines servat, humanam societatem tetur, ipsum hominum genus fovet et ad Deum, cui natum est, tanquam ad beatissimum suum finem manu quasi dicit. Religionem tollas: nullam in homine fidem, nullam in populo sanctitatem, nullam reperies in orbe toto securitatem. Fac nunc in Transylvania non esse Societatem, quosnam catholicae religionis doctores, quos sacrorum antistites habebunt? quos? Forte sacerdotes alio? An non vides eorum lineam injuria temporum fere extinctam, certe brevi extinguendam?

Dices, *si desunt sacerdotes vestri, en adsunt pastores nostri, hos audiant, hos sequantur.* Peto visne eos audiant atque sequantur sponte, an coacti? Si coacti, ecce violata libertas et quidem ea in re, quam quisque probus vitae ipsi anteponit, et in qua tu ipse te eam violare neque posse, neque velle confiteris. Dices, *sponte volo.* At nolunt ipsi, neque ulli injuriam faciunt, sunt enim liberi. Quid ergo tandem fiet? Dices (neque enim aliud dicere potes) *proprios sacerdotes non habent, pastores recusant alienos, careant ergo omni sacerdote, careant omni sacrorum administratione.* Melius dixisses: careant Deo; careant fide; careant omni probitate. Sublato enim religionis firmamento, haec omnia facil-

lime ruunt suomet pondere; quae tamen religio, cessante ipsius exercitio, friget, aret, et ad interitum usque languet; ex quo homines et virtutis amorem, et Dei timorem, et scelerum pudorem amittunt, et peccata peccatis adnectentes tandem ad omnem impietatem sibi gradum faciunt. Paulo post igitur pessimos habebis, quos paulo ante optabas optimos.

Sed video refugium. *Religio, inquiunt, catholica mala est, quare melius est ea carere, quam habere, sicuti melius esset carere cibo, quam uti venenato.* Utinam, qui haec in tenebris dicunt, in hanc vestri conspectus lucem prodiderent, efficerem profecto, ut eos vel rerum divinarum prorsus ignaros, vel impiè in Deum ipsum blasphemos esse agnosceretis. Sed adeste, quae so: et quod dicam, diligenter considerate. Neminem offendam, neque enim huc veni, ut ullum laederem, sed ut vobis innocentiam nostram probarem. Quare ad tollendam omnem contentionem, neque religionem cum religione, neque homines cum hominibus, aut mores cum moribus comparabo; illud unum absque ulla haesitatione affirmabo neque me, neque te, neque quenquam alium hominem unquam vidisse, qui e catholicorum castris ad aliorum tabernacula migrans, in militia Christiana melior miles factus fuerit; id est vitae sanctitate et morum integritate sanctior evaserit. Taceo an pejor. Quid, quod neque fieri potuit, quia bona opera, a quibus homo est, et dicitur bonus praeter catholicum nemo colit. Illa enim alii vel tacite contemnunt, quia ad salutem necessaria esse non intelligunt, vel aperte damnant, quia quicquid homo agit, peccatum esse volunt; vel abjiciunt, quia divina praecepta minime servari posse contendunt; vel irrident, quia uni fidei omnia accepta referunt; vel denique ob solam externam politiam retinent, verum animi cultum negligunt, Deum enim nequaquam norunt. Sola igitur religio catholica Romana opera bona ab aliis ejecta recipit, fovet, tuetur et in sinu proprio nutrit, quia absque illis hominem ratione utentem salvum fieri posse non credit.

Qui igitur fieri potest, ut religio mala sit, quae mala omnia odit, omnia scelera usque ad ultimas fibras evellit, omnem peccandi licentiam adimit? Quae non solum ne peccata patentur severissime cavet, sed etiam, ut patrata puniantur, sanctissime sancit? Qui fieri potest, ut bona non sit, quae virtutes omnes hominum animis inserit; et suum cui-

que reddit, Deo honorem, principibus obsequium, populis pacem, omnibus amorem? Deo, inquam, reddit honorem, quia tantum abest, ut catholici idolatriam, uti calumniantur iniqui, exerceant, ut potius ad illam extinguendam sanguinem ipsum effundant. Principibus obsequium, nam cum *Caesari, quae Caesaris sunt reddenda esse non ignoret*, illi quoque fidem sincere servandam docet. Populis pacem, quia haec illa religio est, quae vindictam nescit; odia restinguat, misericordiam colit. Omnibus amorem, quippe hac una caritatis nota vera agnoscit vult Christi discipula. Quomodo non vera erit illa religio, quae divinis consignata oraculis, initiata mysteriis, confirmata miraculis, sacro martyrum cruento consecrata, venerandis sanctissimorum Patrum tum doctrinae, tum sanctitatis monumentis illustrata, a Christo ipso per Apostolos et legitimos eorum successores recta et nunquam interrupta linea ad nos descendit? Quae cum omnium sit antiquissima, omnium etiam, utpote supra firmissimum veritatis fundamentum aedificata, constantissima est, castissima est, invictissima est? Quam omnes inimici Dei semper oppugnarunt, nulli unquam expugnarunt; sed neque expugnabunt; quia adversus eam neque potestas tenebrarum, neque portae interi in aeternum *praevalebunt*? Quomodo non sancta erit illa religio, ex cuius solius schola, non ex alterius disciplina (in*si* publicis omnium aetatum, omnium nationum atque regnum monumentis credere sit nefas) prodierunt, quiunque post Christum natum veram sanctitatis laudem toto terrarum orbe adepti sunt? Quomodo Transylvanicus pia non erit haec religio, quae omnem ex orbe impietatem extirpavit, omnes populos, omnes nationes ad pietatem excitavit? Quae Ungariam ipsam, ipsammet Transylvaniam a barbara idolorum servitute in Christi libertatem vindicavit? Testes sunt mihi omnia templa, testes et reliqua omnia ad Dei cultum ordinata, quae in hoc regno non ab aliis, quam a catholicis aedificata fuer<sup>e</sup>, atque restituta. Testis et tu *Stephane* Ungarorum rex Sanctissimus, qui hanc religionem primus in hoc regnum invexisti. Testes et vos reliqui reges gloriosissimi, qui *pro* sanctius eam coluistis, eo gloriosius de vestris hostibus semper triumphastis; felicius populos rexistis; regnum con-

<sup>1</sup> A nyomtatványban hibásan: nostris.

servastis; fines amplificastis. Qui, si ex illa luce, qua fruimini ad hanc mortalem vitam rediretis, et vestram religionem falsam esse, impiam esse, sacrilegam esse, ex hominum mentibus evelendam esse, vobis a vestris populis objici audiretis, quibus oculis aspiceretis, quibus verbis alloqueremini eos, quos tantopere a vestra fide degenerasse videretis?

Sed quorsum haec? Quorsum? Ut cum religione catholica, quam *Stephanus* rex Sanctissimus recepit, veram esse, sanctam esse, utilem esse, necessariam esse intellexeritis, alterius quoque *Stephani* regis consilia de collegiis nostris in hac provincia fundandis et Deo grata, et regno utilia, et vobis salutaria fuisse intelligatis; et tandem illud statuatis tantum abesse, ut Societas ex hoc regno, in quo jam est, ejici debeat, ut potius, si non esset, pro regni utilitate advocari deberet.

Quae cum ita se habeant, quaero ex vobis, viri prudentissimi, uter utri in bene de patria merendo praestaret, ille ne, qui *Stephanum* regem imitatus, omnem operam in eo collocaret, ut eadem patria bonis, doctis, piis, prudentibusque viris floreret, qui suis sumptibus seminarium institueret, ex quo prodirent homines, qui doctrina culti, eruditione ornati, virtute praestantes, pietate insignes et principibus a consiliis esse, et legationes pro dignitate obire, et domi, et foris, et omnibus denique tum pacis, tum belli temporibus reipublicae inservire possent? An ille, qui Bochkaium secutus infortunatissimis suis auspiciis hunc doctrinae et probitatis cursum impediret, seminarium vastaret, et quidquid alter in vestram utilitatem et dignitatem liberalissime erogasset, in suos ipse usus converteret? Peto a vobis, ut quid hac de re sentiatis libere mihi respondeatis. Deinde a vobis mihi responderi velim utrius in vos, patriamque vestram, major caritas, majorque pietas eluxerit, idemne *Stephanus* rex sapientissimus, quando Collegium nostrum in hac civitate Claudiopolitana eo consilio fundavit, ut in hac provincia semper essent homines docti, qui non solum mitiores politioris doctrinae Musas colentes, liberos vestros, tum aliis artibus, tum maxime illa, quae in liberis regnis, rebusque publicis dominatur, eloquentia ornarent: verum etiam severiores, tum humanae, tum divinae philosophiae disciplinas profitentes, quorum linguas eloquendi maiestate exornassent, mentes etiam divinis sapientiae arcanis illustrarent? An contra

barbarus ille (ut levissime dicam) populos, cum non ratione actus, sed furore agitatus regium illud monumentum funditus evertit, sapientiae domicilium sustulit, ejus alumnos ejecit, ingenuas artes profligavit, juventutem Transylvanam barbaris hominibus erudiendam commendavit? Horum uter *Stephanus* rex, an populos Claudiopolitanus regni vestri saluti et felicitati magis consultum voluerit, quaero ex vobis, ut ipsimet judicetis. Quamquam, quid hominum judicium quaero, ubi habeo divinum? Meministis, opinor, quod obli- visci non potestis; sed neque sine lacrimis recordari cladis illius funestissimae; qua tot, tantorumque virorum sanguine Coronenses agri redundarunt. Tempora observe; causas requirite; factum perpendite et mecum, immo cum sapientissimis quibusque sentietis calamitatem illam summi sacrilegii fuisse poenam, ut dum homines ausu temerario dicta Deo templa diruerent in terris: in eos Deus justissimae irae suae fulmina vibraret e coelis. At illi non peccarunt omnes. Fateor. Sed neque populus Hebraeus peccarat, quando arcano quidem, sed justo Dei judicio, una luce septuaginta hominum millia Davidici peccati luere poenas. Pauca sapienti.

Iam pergo, et duo hominum genera mentis oculis contemplanda vobis propono. Quorum primi nihil antiquius habent, quam ut vobis in rebus maximis, maximeque necessariis fidelissime serviant; alii, ut ejusmodi obsequio vos privent, nervos omnes contendunt. Quaero utrosnam illorum inter amicos loco habeatis? Amens sim, si vel eos, qui vobis serviunt non amicos, vel qui nocent, non inimicos judicem. Iam clara voce, ut omnes audiant, dico *Jesuitas* primos illos esse, qui quidem quoad religionem attinet catholicis solum, et illis, qui catholicam religionem cognoscere volunt, serviunt; at quoad literarum studia, qucad liberalem juventutis institutionem vobis omnibus, regno universo labores suos, atque sudores dedicarunt: omnes admittunt, neminem excipiunt, omnes doctos, omnes probos, omnes bene moratos esse volunt. Quinam sint vobis non amici videtis ipsi, sunt enim illi, qui nos impediunt; qui nos ejiciunt; qui, ut verissime dicam, non tam nobis nocent, quam vobis, quam regno, quam sibi metipsis officiunt; damnum autem non sentiunt, quia ut socius utroque orbetur oculo, unum ipsi libenter amittunt. Concludamus igitur *Jesuitas* Transylvanicos esse amicos, Jesui-

tarum hostes Transylvanicis esse inimicissimos; quippe maximis optimorum principum beneficiis, necessariisque bonorum virorum obsequiis, eos privare volunt.

Sed insusurrat nescio quis: et alios etiam audiendos esse dicit. Optime sane, in libero namque regno unicuique loqui liberum sit. At nullus prodit? Forte absunt. Adsunt illi quidem? Sed praesente luce tenebrae non subsistunt. Pro majori igitur veritatis confirmatione,<sup>2</sup> quicquid querelarum vel contra nos, vel contra ea, quae dicta sunt hisce diebus obiectatum est, nos ipsi afferamus atque diluamus. *Nobis*, inquit ille, *Jesuitarum scholae nequaquam sunt necessariae, non enim desunt nostrae*. Utinam non deessent, sed ultro demus, quod negare possemus: nonne tu quoque concedes, sicut in Transylvania non quaevis terra aurum gignit; sic non ex quavis disciplina viros prodire sapientes? Conferte, auditores, conferte scholas cum scholis, discipulos cum discipulis, et si vobis placet (per me enim licet) magistros etiam cum magistris comparete, et an vera loquar ipsimet comperietis. Addit alter: *Quomodo inter nos vivere vultis? An non videtis quam multis odio sitis?* Esto, quid tum? Non enim hic quae-ritur quam multis odio simus, sed jure, an injuria, hoc in quaestionem venit; alioquin, si ratio tua valet, inferam ego: Ex Transylvania ejiciantur omnes viri boni, ejiciantur usque ad unum viri probi. Quare? Quia illos oderunt multi scele-rati, ut omittam, nos a quamplurimis diligi, a cordatissimis quibusque magni aestimari, et si interdum nonnulli, quod *oculum serviunt*. Sed odium protulisti; odii causas abscondisti, quia vero multum refert rerum origines cognoscere: eas ego manifestabo, an iniqutatem redoleant, an innocentiam. Inimici vero nostri ad duo genera revocantur, humana scilicet atque divina. Sunt enim nonnulli, qui nos non solum usque ad ultimas terras, sed etiam, si fieri posset, extra ter-rarum fines amandare vellent. Quid ita? Quia cum nos gravissime laeserint, damnaque, quam maxima intulerint, ti-ment, ne si maneamus, aliquando cum iis jure agamus, et maximas ipsi poenas luere cogantur. Hi Societatem nondum mente sehtiunt, ore nequaquam proferant, quia nimirum ad-noverunt, quae ita ab omni odio et lite abhorret, ut potius

<sup>2</sup> Ez a mondat a nyomtatott példányból kímaradt.

cum summo damno pacem, quam cum quovis lucro vel minimam cum ullo contentionem habere velit.

Alii vero cum se gregi Christi regendo intruserint: nos procul arcere volunt; ne oves boni pastoris vocem audientes a mercenariis recedant; et tandem ad saluberrima veritatis pascua revertantur. At hi sunt pauci. Verum est. Sed alios concitant, et multos secum ad reipublicae perniciem trahunt; illudque magno patriae incommodo verum esse ostendunt; quod Romanae historiae parens Titus Livius observavit: *Res privatas bonis et sanis consiliis semper offecisse*, et non Romano solum, aliis etiam imperiis miserrimum interitum attulisse. Iam tertium audiamus, qui cum aliis aequior videri velit, non omnia damnat; sed bona a malis hoc pacto distinguit. *Vestra doctrina*, inquit, *placet*; *disciplina quoque probatur*; *sed quominus vos retineamus, illud in causa est; quod displicent mores, improbantur actiones*. O vocem homine prudente indignam! O sine ratione orationem! Non enim illud sufficit. *Non placent mores; displicent actiones*. Sed hoc tibi probandum fuissest *mores nostros esse malos* et ideo damnandos; *actiones iniquas*, et propterea improbandas. Sed dicas, obsecro, quando vel ubi nostri tibi *non placuerunt mores; displicuerunt actiones?* Esne tu aliquando versatus cum Jesuitis? Habuistine unquam consuetudinem cum illis? Sane, si habuisses, alia ratione, mihi crede, loquereris. *At ita loquuntur omnes, non est locus, non est domus, non est angulus, in quo haec non audiantur*. Ergo ex impura maledicorum lacuna detractionis venenum hausisti: cur non etiam ex ipso veritatis fonte ipsam delibas veritatem? Jesuitas, adi; vitam eorum observa; mores explora; scrutare actiones, an iniquitatem redoleant, an vero innocentiam ipsi vero sintne; humiles an superbi; detractores an detrahentium calumnias proferentes; discordiarum artifices; an pacis auctores; contemptores legum; an observantes; fidei violatores, an profide discrimina quaeque subeuntes; bonorumne morum corruptores, an potius acerrimi propugnatores; Magnatum ac principum gratiam adulazione aucupantes, an religiosis eosdem obsequiis ad omnem Christianam vitam tuendam impellentes, regna evertentes, an pro ratione sui instituti, ne ruant elaborantes; uno verbo, an ab eis deceptus fueris

experire, et posthac magis tibi prudenter experto, quam aliis temere mentientibus fidem adhibeto.

Quoniam autem illud in primis ab acerrimo nostrae religionis hoste Iudice Claudiopolitano urgeri audio, *nos esse seditiosos et propterea non ex hac solum, ex aliis etiam, et quidem catholicis, et in ipsa Italia constitutis provinciis ejici.* Respondeo, quoad Transylvaniam te nunquam vidisse Jesuitas armatos populum ad seditionem concitare, in alienas aedes irruere, dominos e propriis sedibus ejicere; sicuti ego vidi tuos pastores nostrum Collegium aggredientes, omnia diripientes et suis ipsorum manibus, nos nudos e domo nostra expellentes. Quo tempore, cum tu, qui nos seditionis insimulas, plebem non represseris; cum tu, qui nos seditionis ~~insi~~ <sup>re</sup> reprimendi potestatem haberis, profecto te seditionis auctorem declarasti, vel approbatorem? Et quam multi etiam nunc contra nos clamant, quos ego injuriarum immemor ex laqueis atque carceribus, in quibus pro eadem seditione detinebantur, liberavi? Quid? An non in praesenti seditiosi habendi sunt illi, qui et clamoribus justitiam obruunt, et in Jesuitas mendacia configunt, jus autem refugunt et judicio sistere se nolunt, cum tamen Jesuitae et judicio se sistant, et nihil magis, quam jus implorent? Quare vobis, viri sapientissimi, etiam atque etiam considerandum est: an hujusmodi homines in posterum audiendi sint; an potius poena talionis mulctandi.

Quod autem de Venetis objicitur, id ego, uti se habet, fideliter exponam. Cum hisce temporibus inter ipsos et Romanum pontificem orta esset dissensio, resque eo devenisset, ut quicunque ordinis ecclesiastici in Venetorum ditione essent, vel a Romano pontifice, cui fide et obedientia obstricti sunt deficere, vel sedibus propriis cedere cogerentur: Jesuitae ne in Deum, ejusque in terris Vicarium peccarent, neve se in expiabili schismatis scelere polluerent, sedes suas deseruerunt, et non tam coactum exilium (ut enim manerent, ipse met Venetorum princeps illis maria et montes aureos pollicebatur) quam spontaneum pro Christiana sancta ecclesia subierunt. Sed soli non fuere, quia non soli qui justitiam colerent, sedem apostolicam observarent, Deumque timerent in Veneta ditione reperti fuere. Idem multi episcopi, idem gravissimi praelati, idem praestitere quamplurimi diversorum

ordinum religiosi, inter quos enituit modestissimus Theatinorum ordo, sanctissimaque Capucinorum religio. Quam cum ob admirabilem vitae sanctimoniam uhiversus Christianorum orbis veneretur, eam tu seditiosam appellare non erubueris?

Verum, quia non ratione, cuius forte inops es, ne dicam impos, agis, solaque auctoritate fretus nos ejiciendos esse contendis; ego quoque rationibus paulisper intermissis, auctoritatem auctorati, testimonia testimoniis, homines hominibus, veluti clypeum tuis telis non solum retundendis, sed etiam in te ipsum retorquendis opponam; et illud divino adspirante numine efficiam, ut velis, nolis, justitiam mihi suffragari fateare; modo illud concedas, quod concedunt sapientes omnes, et tu ipse concedere cogeris, nisi veluti insipiens ex sapientum albo expungi malueris; nimirum unicuique in sua arte esse credendum. Et sicuti caecus non judicat de coloribus, sic cum de republica, de religione, de gravissimis in sua arte esse credendum. Et sicuti caecus non iudicabat notae homines (artes non vitupero, scientiam quaero,) sed peritos, sed sapientes, sed senatores, sed eos, qui cum laude ad reipublicae clavum sedent, esse audiendos. Atque ne hinc discedamus, omnes circumspice: omnium ora et studia intuere; quis cui faveat attende; et quantum hac in re tibi superior sim, fateri ne erubesce. Possum auditores nominare, possum et digito indicare illos, qui Societatem Jesu in regno esse volunt; neque, ut discedat ulla ratione consentiunt; non obscuros homines esse, sed clarissimos viros, non privatos, sed in dignitate constitutos; non e media turba excerptos, sed ex supremo ordine selectos; qui cum generis splendore nemini cedant, aetate, doctrina, experientia, meritis multis antecedunt; qui nisi et patriae studiosi, et principi probati, et rerum periti censerentur; neque eorum consilia in regni administratione admitterentur, neque ex eorum numero modo ad potentissimum orientis; modo ad clementissimum occidentis monarcham, qui de summa rerum agant, mitterentur; quorum fides, nisi quammaxime clara, atque testata esset, nequaquam tanta eorum in hoc regno auctoritas foret. Iam quinam pro parte tua sint proferas; si tamen restat ullus, qui tantorum virorum, quos ego produxi aspectu non territus adhuc stare audeat.

Scio magnos quosdam viros, quos ego et amo, et uti par est, honoro, scio, inquam, magnos quosdam viros errore nescio quo deceptos aliquando pro te adversum me stetisse; sed spero eosdem veritatem edoces in posterum non tecum, sed mecum futuros. Tibi fortasse restabit vulgus, cuius clamoribus et templum, et forum, et omnium perstrepent aures, ejusque non tam suffragio, quam impetu nos ejicere contendes. Sed illud te moneo, nihil periculosius, nihil reipublicae perniciosius accidere posse, quam si in ea regenda in consilium vulgus adhibeatur. Cum enim tres sint imperii formae: principatus, optimatum regimen et populare; illas primas sapientissimi quique semper praetulere, hanc postremam, id est popularem, veluti teterimam et ad occasum citatissimo cursu properantem, duce experientia damnavere. Videas igitur, quam bene patriae consulas, si contempto optimatum consilio, imperito, vel potius insano populi arbitrio eam regendam committas. Qui populus (ut aliquando ex me vera vox erumpat) non tam Jesuitas, quam Jesum ipsum, id est non tam nos, quam religionem catholicam exterminare et ex hoc regno radicitus evellere conatur. Hoc enim semper fuit populi ingenium, hic mos, haec consuetudo, ut quo regia via pervenire nequit, eo oblique et quasi cuniculis repat. Cujus rei exemplum non tam comparandi causa, quam veritatis explicandae gratia afferam. Populus Hebraeus, cum unde salutem haurire debebat, odium imbibisset, Christique tum doctrinam, tum sanctitatem ferre non posset, et propterea eum de medio tollere statuisset, causam autem nullam reperiret, ad clamores configuit; et tandem ferocissimus, totaque aeternitate expiandis vocibus auctorem vitae cruci destinavit. Cujus flagitii ad nostram eruditionem tam severam Deus vindictam sumpsit, quam crudele universi Hebraeorum regni excidium fuit. Sed populum omitto, et ad vos, viri sapientissimi redeo; apud quos fixum sit, firmumque velim, nunquam fore, ut respublica excitetur ad felicitatem, nisi ii, a quibus excitanda est, prius ipsi excitentur ad virtutem; hoc autem nunquam futurum, nisi ad naturam optimam institutio juventutis accedat. Quam institutionem cum optimus, optimeque de nobis meritus rex Stephanus nobis demandarit: cum nos, quando licuit, non vulgare nostrae industriae et peritiae specimen dederimus. Cum alii, qui haec

praestent, in Transylvania sint nulli; cum tam multi, tamque praeclarci viri constantissime affirment, nisi nos maneamus et liberalem juventutis educationem instauremus: fore, ut Transylvana nobilitas ad omnia summa nata, tantum a se ipsa degeneret, ut brevi potius ad aratra tractanda, quam ad publica reipublicae munera obeunda apta sit, eritne ullus, qui existimet fieri posse, ut Societas nostra e Transylvania ejiciatur, quin bonarum artium doctrina, quin liberalis juventutis educatio, quin virtus, quin probitas ipsa labefactetur? Et (quod inde sequitur) quin Transylvaniae regnum (quod unum nobis hactenus propositum fuit) magnum detrimentum patiatur? Verum de probitate satis, jam de Justitia, quod alterum nostrae propositionis caput erat, paucis disseramus.

Quicunque de republica scripserunt, illam omnium virtutum genere, non secus ac coelum syderum varietate splendescere voluerunt, ita tamen, ut sicut inter reliqua lumina Sol, sic inter virtutes caeteras Justitia principem locum teneret. Hanc enim et imperii firmamentum, et multitudinis vinculum, et publicae felicitatis veluti fulcrum esse, suis sapientes testatum reliquere monumentis, quam unam si subtrahas, et regna ruunt, et populi diffluent, *et in republica quid aliud restat, nisi onus, inquit ille, et praeda?* Neque sane majus rerum universitati incommodum afferret, qui solem e mundo auferret, quam regno, qui ex eo Justitiam exturbaret. Hinc ab initio et Deus, et populi reges constituerunt, ut Justitiam administrarent, et ut inquit Tullius: *summos cum infimis pari jure continerent*, quod divine expressit celeberrima illa regina Saba, quando in sapientissimi regis Salomonis regimine divinum potius, quam humanum opus Dei diu contemplata esset: tandem divino afflata spiritu, vocem illam omnium principum mentibus indelebiliter imprimendam emisit. *Deus*, inquit, *constituit te regem, ut faceres judicium et justitiam*; quibus verbis duo significavit: principum originem et finem. *Deus*, inquit, *constituit te regem*; en unde principes suum sumpserunt initium. Caveant ergo, ne a tanto parente Deo degenerasse inveniantur. *Ut faceres judicium et justitiam*; ecce finem principum, ecce quoniam omnis eorum collineare debeat industria. Hac enim lego creati sunt, ut justitiam administrent. Quae lex cum a summo regum rege Deo lata sit, omnibus adeo servanda est, ut si quis eam trans-

grediatur, illico divinae legis violatae et sit, et dicatur reus; et vel princeps, vel certe princeps desinat esse bonus. Quod praeclare summus harum rerum judex Aristoteles docuit, cum principem, qui contempta justitia proprium, non populi commodum quaerit, et tyrannum esse, et tyrannum appellari debere, gravissimis, ut solet, rationibus confirmavit. Et merito, cum enim princeps locum Dei teneat in terris, et ut ait S. Paulus: *sit ejus minister, ejus gladium portet, et omnem ab eo potestatem accipiat*, vult Deus principes habere, quantum fieri potest, sibi similes. Nemo autem, si Platoni credamus, *Deo similior esse potest, quam qui justissimus est*. Quod forte mente versabat augustissimus ille imperatorum Augustus, cum principes pietate, et justitia deos fieri imperatoria quadam majestate pronunciavit. Maneat igitur justitiam in principe principem locum tenere; neque fieri posse, ut eam ex illo auferas, quin regnum saeva tyrannis invadat, quo posito fundamento, causae nostrae justitiam vobis considerandam propono.

Rex Stephanus, ut antea dicebamus, ob singularem caritatem, qua patriam complectebatur, Societatem nostram in hoc regno collocavit, atque, ut in eo sedem stabilem, certumque domicilium haberet, liberalissime illam juribus, possessionis et privilegiis ornavit amplissimis. Quam eandem Societatem sapientissimi patrui vestigiis inhaerens ex fratre nepos Serenissimus non confirmavit solum, sed novis etiam juribus, novisque privilegiis amplificavit. Quae, etsi, ut robur haberent, ab optimis principibus, optimo jure, optimo fine facta esse, satis fuisset, tamen, ut calumniis aditus omnis preecluderetur, regni quoque universi consensus accessit. Quis unquam potiore jure in Transylvania aut fuit, aut esse potuit Societate Iesu, quae non solum regia auctoritate, verum etiam regni decreto hoc jure donata fuit? Quo, ut in perpetuum fruerentur, quae major cautio, quod firmius robur, quae sanctior potestas accedere potuit? Sic statuite apud vos, viri sapientissimi, et patriae vestrae, vestraeque libertatis Patres amantissimi, si porta haec, per quam Iesuitae ejiciantur aperiatur: nullius statum tutum, nullius jura firma, nullius privilegia fore inviolabilia; omni everti, omnia labefactari, omnia infringi posse putatote. Ea enim liberi regni natura est atque conditio, ut quod semel factum fuit,

id semper fieri posse existimetur; et sic dum exemplum in legem transit, paulatim et sensim sine sensu libertas perit. Nam ergo, quia res vestra agitur, quid nobiscum actum sit, audite.

Septimus elabitur mensis, ex quo dum nostris muneribus, etsi non uti libebat, saltem uti licebat, intenti essemus, ecce tibi contra leges omnes divinas et humanas, contra patrias consuetudines, contra regni jura ac decreta nullo a vobis (uti opus fuisse) impetrato vel requisito consensu, per summam injuriam bonis omnibus spoliati sumus; atque non solum ex propriis aedibus ejecti, sed etiam ex provincia nullo (Deum testor) crimine nostro exturbati. Verum cum aequissimus ille rerum arbiter Deus, hoc indigne ferens, ejus auctorem sustulerit et alium substituerit, sub cuius imperio ob singularem quandam iustitiae opinionem provincia e maximis calamitatum procellis, quasi emergens respirare visa est: ego quoque magna animo spe concepta, ad vos vestrumque principem confugere statui, et propter inviolatum Christianae Iustitiae amorem orare et obtestari, ut quod contra nos reclamante justitia factum fuit, id vos eadem suadente, vel potius cogente Iustitia aboleatis; et nos in pristinum statum restituatis.

Quanquam autem Christiani principis, Christianique regni clementiam, uti par est, imploro et exposco, tamen, si quis animo in nos minus clementi esset, atque severius agendum, nihilque condonandum esse judicaret: sciat ille me nihil minus, quam justitiam formidare, immo, ut eam severissime administretis obtestari atque obsecrare. Etenim cum duo tantum ea sint, in quibus, si peccasse deprehensi fuissimus, jure damnari et proscribi potuissemus, doctrina et mores, in neutro nos peccasse luce meridiana clarius esse ostendero, si uti hactenus fecistis verba mea diligenter audietis. Et quidem, quoad doctrinam (de divina loquor, nam quod spectat ad scientias humanas, eas ipsosmet hostes laudatores habetis non obscuros) vel ex eo probatur aperte, quod nullam unquam aliam professi sumus, quam catholicam Romanam. Haec autem cum ab regno universo probata sit, profecto nulla ratione nos damnare potestis, quin nobiscum regnum universum, quin vestris vosmet calculis condemnatis; qui decretis vestris doctrinam illam saepius approbatis, et

quoties de religione aliquid statuistis, toties illi, veluti religionum antistiti primum locum concessistis. Quid? Si nos exturbaveritis, an non necesse erit, ut eos etiam Transylvanos, qui eandem nobiscum doctrinam, eandem religionem venerantur et colunt, eadem qua nos damnationis sententia proscribatis et ejiciatis. Quare, si jure agatur, fieri non potest, ut Societas nostra pereat, quin cum ipsa tota Transsylvania uno iniustitiae quasi telo confossa intereat. Tantus est Societatis cum publica causa nexus, tanta ei vobiscum conjunctio intercedit; quod si regnum non damnatur, si reliqui catholici non proscribuntur, si contra religionem nihil statuitur, quo jure vel potius, qua injuria propter doctrinam, aut religionem nos damnabimur aut proscribemur?

Utinam tempus permitteret, auditores, aut locus, ut de religione disputaremus. Ostenderem enim vobis catholicos non esse idololatras, ut vociferatur illa rudium hominum turba, quae catholicam religionem ne de nomine quidem agnoscens, illam mendaciis oppugnat plus quam sexcentis. Ostenderem, inquam, catholicos nec plures deos colere, nec nisi Deo proprios Dei honores tribuere. Ostenderem eos unum illum Deum vivum et verum agnoscere, confiteri et adorare; qui nec in Deitatis consortium ullos deos admittit, nec in altissimo suae majestatis throno quemquam extra se sedere permittit; illum, inquam, qui sese ipse in sacris oraculis unum et trinum manifestavit, cum tres personas: Patrem et filium, et Spiritum sanctum praedicari mandavit, et tamen unum Deum venerandum esse docuit. Quod, si Arianus non capit, recordetur ex coelestibus thesauris multa alia arcana in hac mortalitatis caligine proponi credenda, quae in beato lumine contemplanda reservantur: aut, si neque ea credit, non propterea mihi veritatem, sed potius sibi existimet deesse fidem. Ostenderem praeterea vel in toto orbe nullum verum Dei cultum esse, vel certe in sola urbe Roma regiam suam collocasse et apud solos Christianorum Catholicos regnum suum propagare, et quia illud primum asserere falsum, impium, atheum esse demonstrarem: illud restaret, catholicam religionem veram esse, piam esse, sanctam esse, divinam esse, eam esse, quam Christus promulgavit; propugnarunt Apostoli; Stephanus Ungarorum rex **Sanctissimus in Ungariam intulit;** quae, quia omnium anti-

quissima, ideo omnium certissima est, quae uno veritatis praesidio munita, etsi a mille et sexcentis amplius annis perpetuo oppugnatur, non tamen labefactatur; quin potius gloriosissimis triumphis in dies illustratur. Ostenderem denique nullam religionem hac esse sanctiorem; nullamque esse, quae homines velit esse sanctiores; quo uno argumento etiamsi sexcenta alia, quae deficere non possunt, deficerent omnia: efficierem ut illam Dei, a quo omnis sanctitas emanat, agnosceretis augustissimam esse atque divinam propaginem.<sup>3</sup>

Sed haec omitto, et a doctrina ad mores transeo, pro quorum innocentia testes certissimos et omni exceptione maiores appello omnes, quotquot adestis regni Transylvani status atque ordines. Etenim cum ante duos annos comitiis generalibus Medgiesini celebratis de plurimis, maximisque criminibus accusaremur, et propterea de nobis ejiciendis decretum caderetur: ego Societatem adeo in omnibus apud vos ipsos, apud regnum universum purgavi; adeo innocentiam nostram manifestam feci, ut et vos decretum jam scriptum oblitteraveritis; quo sane facto accusatores, qui tunc cum maxime iis loquendum fuisse, obmutuerunt, silentioque suo se calumniarum atque falsitatis veluti convictos aperte declarastis. Ab illo autem tempore, quis nos scelere ullo irrititos esse vel cogitare poterit; cum etiamsi peccandi voluntas (quod absit) adfuisse, peccandi tamen facultas defuisse? Attamen, si quis est, qui nos peccasse contendat, prodeat in medium, et parem mecum conditionem subeat, ut sicuti ego sum paratus vel satis facere, vel poenas luere; sic ille cogatur vel crimen nostrum probare, vel iniquitatem suam profiteri.

Testis innocentiae nostrae sit ille idem, qui nos ejecit, Stephanus Bochkai; testes et illi, qui ejectionis fuerunt vel auctores, vel ministri, qui omnes, ut factum illud, quod a quamplurimis improbari non ignorabant, aliquo justitiae colore cohonestarent, potuerunt quidem nodum, ut aiunt, quaerere in scirpo: at delicti in nobis nec umbram quidem reperire potuerunt. Quare nihil unquam aliud nobis objectum fuit, nisi illud; *Sic volo, sic jubeo.* Quo quid in libero regno

<sup>3</sup> Ez a fejezet a kéziratban nincs meg, tehát a nyomdábaadáskor keletkezett.

taetrius, in Christiana republica quid pestilentius, taetrius, inquam, et pestilentius; quia cum tyrannide arctissimo Societatis vinculo copulatur. Cum enim princeps a Deo constitutus sit, ut tanquam legum et justitiae custos, nulli vim inferri permittat, si ille a recto deflectens, traditaque sibi divinitus potestate abutens, quod in aliis punire debuit, ipsem audeat: an non regimen, quod paternum esse debet, tyrannicum evadit? Verum, quia in praesenti non tam in eo labore, ut quisquam condemnetur, quam ut causae meae justitiae manifestetur, ideo multa, quae in hoc genere dici possent omitto, maxime, qui novi, novi, inquam, viri prudentissimi, non quaecunque principes faciunt, adscribenda esse principibus.

Hi enim cum nec omnia videre, nec omnia ipsimet prae-stare possint, alienis oculis egent, alienis etiam manibus utantur oportet. Quo in genere tanta plerumque corruptela est, ut merito vir doctus suis testatum reliquerit monimentis, *minus plerumque mali in ea inesse republica, in qua princeps malus sit, quam in ea, in qua mali principis ministri.* Vix enim dici potest, quanta et quam multa ex hoc uno capite in universum reipublicae corpus mala redundant. Hinc enim iniquae delationes, hinc falsae suspicione, hinc avarae proscriptiones, hinc caedes, hinc infinitae innocentium expilationes. Neminem nomino, nemo mihi irasci potest, nisi prius pestilentissima hac lue se laborare declareret. Verum, si quis ejusmodi sit poenas, ne dubitetis, luet. Non enim Deus feret, ut super vineam Naboth diu laetetur impia Iezabel, et si Salomon a regia justitiae via deflexerit, mihi, immo ipsi Deo affirmanti, credite, in posteritatem suam regnum Israel nequaquam propagabit. Quod si omnis injusta spoliatio mala est, illa in primis perniciosa censetur, quae alicujus communis boni loco, publicum aliquod malum in regnum invehit, qualis illa fuit imperatoris Iustiniani, viri aliqui satis laudari, cum enim in unoquoque oppido ad promovendas bonas artes, saluberrimo veterum consilio, earum professoribus stipendia quaedam constituta essent: ille malo nescio cujus praefecti consilio ea sustulit et fisco addixit: quo uno facto, frigentibus passim per oppida scholis, rusticitatem atque barbariem in universum ferme orbem revocavit. Quod idem ne vobis accidat, vestrum est, Sena-

tores prudentissimi, diligenter providere. Meum enim illud fuit ostendere, sive doctrina nostra veritatis trutina examineatur, sive disciplina regni utilitate aestimetur, sive mores oculo non nequam, sed Christiano despiciantur: fore, ut non solum non ejiciamur, sed potius non absque magno saltem benevolentiae et caritatis praemio a bonis omnibus suscipiamur, et in posterum non hostium loco, sed fratrum numero habeamur. Quippe qui veluti boni patriae cives, ut illam juvaremus velis semper, ut ajunt, remisque adlaboravimus. Taceo hic beneficia, quae e Societate in provinciam vel universam, vel singulas eius partes promanarunt. Praetereo multos colla laqueis inserentes a turpissima morte liberatos. Nihil dico de furore militum in hanc ipsam civitatem irruentium non semel retardato. Omitto pudicitiam honestissimorum virginum conservatam. Silentio involvo nobilium fortunas e media direptione eruptas. Sed neque illud attingo, quod tamen jure meo amplificare possem: raucam hanc vocem, qualemcunque illam auditis, plus tamen huic regno et vobis omnibus paucis hisce annis profuisse, quam multi ex illis, qui nos acrius oppugnant, toto vitae tempore vel pro fuerint, vel prodesse possint.

Haec et alia non pauca consulto praetermitto, quia in praesenti non benefactorum remunerationem quaero, sed justitiam, justitiam, inquam, peto et imploro. Dicet aliquis: *Si haec vera sunt, qui fieri potuit, ut in regno libero, in luce aperta, homines non obscuri, tanto non innocentiae solum, sed meritorum etiam praesidio muniti spoliarentur, et ejicerentur? Qui fieri potest, ut adhuc a multis tam acriter oppugnentur.* Respondeo primum nihil fore, cur mireris, si illud mente revolvas, quamplurimos saepe clarissimos viros in justissima causa non propriis peccatis, sed judicum iniuitate fuisse periclitatos. Deinde, quod saepe dixi et saepius dicendum arbitror, cum ob unam Catholicam religionem patiamur, quid mirum, si cum haec in nobis perpetuo vigeat, perpetuo etiam ab ejus oppugnemur inimicis?

Quae cum ita sint, vos moneo, senatores prudentissimi, caeterique auditores nobilissimi, primum ne virtutis seminarium, sapientiaeque domicilium vestris sedibus moveri et in alias terras demigrare patiamini. Deinde ne justitiae, quae omnis bene constituti regnis anima est, et sine qua nulla

respublica diu vivere potest, nec quae Christiana appelleatur digna est, satisfaciatis. Ad extremum, ne universum Catholicorum ordinem contempnatis. Hi enim vos orant et obtestantur, ut quam religionis libertatem caeteris permittitis, eandem illis ne denegatis; qui etsi a nobis monit, et ab ipsa Catholica fide pacis amantissima et vera humilitatis magistra edocti, quiete, moderateque se gerunt, et quidvis potius malint, quam ut patria recentibus adhuc cladibus cruenta, novo civilis dissensionis vulnere saucietur: tamen quo animo eos esse putatis, cum suos sacerdotes absque causa exturbari vident, cum ipsi aliorum ministros nulla in re turbent? Quod eo gravius ferunt, quia cum illis, quae a principibus constituta et a regno approbata et a legibus permissa sunt denegatis: aliis ea etiam, quae legibus repugnant concedatis. Tanta enim est apud alios licentia religionis, ut non solum quosvis ministros undecunque advocandi, sed etiam (quod alias ne fieret, severissime cautum fuit) nova in regnum dogmata invehendi ampla potestas fiat. Vos, inquam, moneo, viri integerrimi, ut haec diligenter consideretis et quod optimum est, statuatis. Quodsi (uti de vestra prudentia et justitia sperandum est) feceritis et publicae paci optime consuluisse, et gravissimam injustitiae labem huic regno aspersam abstersisse et principum Christianorum benevolentiam (quod ad hanc rempublicam stabiliendam plurimum valet) conciliasse et liberis vestris liberalem disciplinam restituisse, et Serenissimo archiduci Matthiae, qui pro summa illa auctoritate, qua Sacrae Caesareae Regiaeque Majestatis loco in universo Ungariae regno fungitur, hac una voce, unis hisce literis, quas vobis praesento, instanter aequo atque clementer hoc idem petit a vobis, morem gessisse; et denique Deo, Caesari, regno, legibus, Societati, mihi, vobis omnibus satisfecisse videbimini. Nos autem, ut de nobis spondeam, summa fide, summa diligentia, summa caritate, Deo, vobis, principi, regno serviemus, quantum poterimus, et plus pene quam poterimus, seduloque operam dabimus, ne vos unquam, vel principem vestrum poeniteat nos recepisse, vestrisque beneficiis nobis nostras sedes restituissene.

Aliud nihil jam restat, nisi, ut te, Deus immortalis, suppliciter orem, obtesterque, ut sicuti ego nihil unquam, te

teste, in Transylvania quaesivi, aut optavi, quod non esset  
vel ad tui nominis honorem, vel ad hujus populi salutem;  
sic tu e beatissimo sinu tuo in nostras omnium mentes  
Spiritum sanctum tuum immittas, ut te duce, te auctore,  
illud statuatur, quod tu, o aeterna sapientia, nosti tibi fore  
gloriosum, reipublicae beatum, omnibus salutare, ut tandem  
omnium voces vera pietate concordes, te sanctum, sanctum,  
sanctum canant et *dexteram tuam fecisse virtutem fateantur.*

---